

**Votiva acclamatio  
in fasces  
academicos, sive  
rectoratum d. Olai  
Rvdbeckii m...**

Ulstadius, Laurentius  
Andreae

*1 Ic Fol. 1678 Rudbeckius,  
0.*



National Library  
of Sweden

# VOTIVA ACCLAMATIO

IN

FASCES ACADEMICOS,

SIVE

RECTORATUM

## D. OLAI RVDBECKII

Med: Doct. & Prof. Ordin. Celeberrimi.



**E**ia, age! RVDBECKI, Cujus diffusa per orbem  
Splendet honorifico Virtus decorata nitore,  
Ætas nulla tuas laudes vel sera tacebit,  
Garrula nec poterit labem tibi fingere turba.  
Nam tua pervolat doctorum labra virorum  
DEXTERITAS, certoque tenent tua nomina sedes  
Euganeas. Vastum, quem jam lux publica cernit  
LIBRVM, nulla dies, non torvi tela Tyranni,  
Non poterit livor, nec edax abolere vetustas.  
Hinc OLAVE tuum manet indelebile nomen,  
Hinc donec magni solvatur machina mundi  
Maxima semper erit Gothica Reverentia Gentis.  
Qualis per roseos defertur sedula campos  
Parva apis hyblaum sugens è flore liquorem  
Et flavas dulci distendens nectare cellas;  
Talem Te Nobis DOCTOR CELEBRIME  
RVDBECK

Declaras, quoties per mille volumina solers  
Erras, atque tuos aliquid seponis in usus.  
Pimpla tuâ sub fronte latens effundit ab uno  
pectore,

Pectore, quod sapuit Grajum primæva vetustas,  
Et quicquid Latia potuit notum esse Minervæ.  
Nec calami crenaque tuæ te gloria fraudat,  
Quam celeri ducis plusquam doctoque lacerto.  
Ursala ubi sita sit, fuerit quid Atlantica priscis,  
Danubeum in quantum pateat, Quid Scandica tellus  
Contineat, docto melius depingis Apelle.  
Dum quoque pieridum sumis moderamina **RECTOR**  
Nil tibi non plaudit; plaudit Dominumque salutat  
Te Doctrina suum, tibi fasces porrigit ultro,  
Te venerans cingit doctorum turba virorum  
Pieridumque cohors sequitur vestigia longo  
Ordine, & officium præstat, præconia densans.  
Pro vitâ pars vota facit, sceptrique favores  
Ex animo exoptat. Tu doctæ jurgia Pubis  
Frangere, tu fluctus tempestatesque futuras  
Evitare sagax, facili sermone mederi,  
Tritonumque minas poteris componere dictis,  
Nec deerit fulmen, durus si sidera tentet  
Enceladus, superisque Iovem detrudere regnis

Tita-

Titanum fera corda parent, siqve ipsa vacillet  
MAIESTAS AVGVSTA DEVM, trepidiq; senatus  
Regia, fulmineo audacem Typhöa telo  
Dejicis & natos Cælum rescindere fratres.  
Non te turpis avarities, lucri studium, nec  
Grande supercilium, tumidaeve superbia mentis  
Vlla regit, vultus nec ducis & ora loquenti.  
Æquis Thespiadas tali RECTORE sorores  
Respuat? aut quando studiis meliora patebunt  
Tempora? Claris ecce tuis felicia habenis  
Fata precor, Longæ & solidæ firmamina VITÆ.

M.<sup>ia</sup> T.<sup>a</sup>

addictissimus

Laurentius A. Ulstadius,  
O. Bochniensis.

